



modum conficiendi pugillum suffitus, difficillimam ministerii partem) qui eum ad oratorium domus Abtines ducebant. Adiurabant eum, et cum absoluisent, ibant seorsim, et quivis eorum sigillatim illi dixit: Pontifex Maxime, nos sumus legati synedrui M. et tu es legatus noster, ac legatus synedrui M. Adiuramus nos te per eum, qui habitare fecit nomen suum in hoc templo, quod nolis mutare quicquam ex omnibus, quae diximus tibi; tum ille segregabat se ab his, et flebat, et hi segregabant se ab illo, et flebant. Haec ut sint uerissima, dubium tamen incertumque uidetur, penes quem fuerit ius unguendi Pontificem M. Silentio hanc praetereunt quaestionem e ueteri atque recentiori aetate tantum non omnes. Haud incommode uidetur affirmari posse, filium Pontificis M. natu maximum, siue eum, qui hunc proxima cognatione attingebat, ab ipso parente, spe diuturnioris uitae abiecta, oleo sacro unctum fuisse. ^{b)} Eamque sententiam primum statim exemplum succedentis filii in locum morituri parentis confirmat. Inauguratur enim Eleasar a Mose, uiuo adhuc Aarone, uestibus sacris, Aarone detractis. ^{c)} Quo facto decessit Aaron, nec unctiois mentio iniicitur, quae, cum necessario peragi debuerit, ab ipso parente in filio, Stola pontificali iam induto, perfecta uidetur, quae tanquam res certa ac per se nota in historia sacra omittitur. Oleum sacrum solius Pontificis M. curae fuit concreditum, ab eoque sanctissime custoditum, quare nemini tutius, neminique commodius, unctio peragenda tribuitur, quam ipsi Pontifici. Digniusque a nemine perfici poterat unctio sacra, quam ab eo, qui ob dignitatem ab olei sacri unctio-
ne impetratam maxime erat conspicuus. Nec conditio filii, a parente uncti, indigna oleo sacro haberi poterat, cum ex mente doctissimorum Hebraeorum inter uirtutes Pontificis M. constituendi relatum fuerit, ut Pontifice
seniore

^{b)} Teste MAIMONIDE Commentario in Codicem כריתות Cap. I. Hoc oleo duntaxat Pontifices MM. unge-

bantur, et sacerdos, qui Pontificis M. filius erat.

^{c)} Num. XX, 27. 28.